

F.H.
118,
27.

X 1877095

675
Pi
395

De furi babylonica eiusq; destructione

FESTA
 LABORIFERIS
 REDEUNT SOLENNIA
 MUSIS,
 EXSPECTANT DOCTOS
 NOSTRA THEATRA
 VIROS.
 QVARE AGITE
 O MAGNI PERAMANTER ADESTE PATRONI!
 HIS
 SUCCISIVAM
 GRATIFICANDO MORAM.
 ORANT DISCIPULI,
 RES POSTULAT,
 EXIGIT USUS,
 ET SIMUL
 OBNIXE
 GYMNASIARCHA ROGAT.

Anno quo mortales
 BeLLa gerVnt, & beLLa parant, & beLLa qVerVntVr,
 Mœsta & soLICItO beLLa paVore CaVent.

FREIBERGÆ,
 Typis BECKERIANIS.
 A. A.

66666.





Vatuor imprimis urbium morbi sunt, quos fonticos appellare queas, terræ motus, eluviones, incendia, bella. Horum assultu etiam illustrissima opera ita solo sunt æquata, ut aliorum nec tenue quidem vestigium supersit hodie; aliorum tam cadaverosa ex ruderibus facies eluceat, ut sine commiseratione rerum humanarum spectari vix queant. Insigne opus illustrium ruderum quis post Bisselium conficere queat, si per Asiam tantum ac Europam parietinas clarissimarum quondam urbium paulo curatius describere velit. Cogitet aliquis Niniven, Babylona, Susas, Persepolin, Trojam, Sardes, Ephesum, Lacedæmona, Thebas, Athenas, Carthaginem, Romam, Capuam, quarum ferè omnium famam admiramur, vestigia quærimus. Et nisi fragiles chartæ memoriam custodirent, vacillaret humana fides. Nunquam tamen eluviones, nunquam terræ motus tantam stragem urbium dedere, quantum incendia; non fortuita quidem illa; sed bellorum fulminibus excitata. Cur enim Ninives (at quantum urbis) vestigia jam Luciani ætate quæsitæ? Bellum omnia solo æquaverat. Quid ex tanta Carthagine non nisi aqueductus quosdam nobis reliquit? Bellum. Quid Persepolin veterem Orientis regiam ita destruxit, ut columnæ paucæ & deformes saltem ruinæ sub Barbaro nomine Tzschilminar restent? Bellum fecit, atque ex eo incendium. Vide Mandeslojum, de la Valle, Tavernierum. Quid Romam, caput orbis, ita in genua dejecit, ut hodie in subterraneis cadaver pristinae magnificentiæ sepultum cum horrore aspiciamus? Bellum. Longum esset damna totius orbis enumerare, & nemo fideis oculis nec legere quidem potest quæ D. Jacob Spons de Athenarum, Ephesi, Sardinum, Pergami, aliarum urbium statu hodierno curiosè adnotavit in Itinerario Græciæ atque Asiæ. Addunt tamen alii præter hos & aliud morbi genus, vetustatem, quæ velut lenta tabe urbes sensim exedat atque consumat. Et notum illud Poëtæ

Mors etiam saxis marmoribusq; venit.

Sed illa tam lento gradu ad interitum magnorum operum accedit, ut, nisi violentia quæpiam aliunde accesserit, mundo ferè aut saltem diluvio cœva etiamnum ostendantur rudera. Ut enim non memorem urbem Enos, quam Cain ædificavit, cuiusque ingentia fundamenta visuntur ex relatione Annii Viterbiensis; nec ad Plinii mentem referam Joppen *antiquius terrarum inundatione oppidum*. Pyramidum certè moles post tot secula nihil aut parum damni à vetustate pertulit; sed invictum robur post tot secula mirantibus posteris exhibet. Sed has ipsas ætate antecedunt turris Babylonicæ decantatissima *λειψανα*, cuius structuram Historicorum antiquissimus *Gen. ii.* persequitur. Condita enim illa circa annum à diluvio centesimum primum, qui incidit in Mundi annum 1757. ex quo liquet reliquias ejus hodie superstites triginta & octo seculis vetustiores. Insigne utique argumentum providentiæ divinæ, quæ Mosaicis scriptis auctoritatem ex hac re conciliare voluit. Vide Grotium de *verit. relig. Christiana*. Cur enim de muris tantæ urbis, de hortis pensilibus, quos in miraculorum usque numerum extollit exotica historia, nihil reliqui mansit? Sed mittamus hæc, & turri potius curatiorem operam impendamus. Hæc in quam olim altitudinem evecta sit dubium est. Infaniunt hinc solennia Judæi, qui in libro *Jalkuth. ad 27.* milliaria usque extollunt. Josephus in molem illam excrevisse scribit, ut suprema ejus pars vix visu deprehendi potuerit. Hieronymus *ad cap. Esaiæ XIV.* 4000. passuum sive unius miliaris

liaris Germanici altitudinem illi tribuit, sed ex aliorum fide, cui tamen ipse fidem adhibere veretur. In incerto autem omnia relinquit Bochartus *Geogr. Sacr. lib. I. cap. 13* Stephanus ad Herodotum, Dn. D. Calovius in *Bibl. Erucl. Ofiander in Antiqv. Bibl. O. Dapperus in Asia sua imaginem* quoque illius exhibent ex delineationibus Herodoti & Strabonis, de quibus suum cuique iudicium relinquimus. Nihil autem mediocre cogitasse constructores vel ex hyperbolica phrasi; *cujus fastigium ad caelum usque pertingat*, satis colligitur. Verum enim vero consilio ambitiosissimo eventus defuit. Confusio lingvarum, fulmina, venti, tempus edax rerum, manus violentæ destruxerunt insanam molem, & deformes ruinas nostræ ætati reliquas fecere. Imperfectum tamen opus in Beli templum conversum esse, quo de multa Herodotus, Strabo, Diodorus, alii, vix dubium est. Mallem autem rudera hodierna potius delineassent, qui veteris turris iconem tam accuratam & numeris omnibus architecturæ absolutam oculis subjecere. Id cum a nemine factum sciam, sequenda scilicet erunt τῶν ἀντικειμένων vestigia. Id dum facimus, ejusmodi ferme illorum facies nascitur. Septem vel octo milliariibus Anglicis ab urbe Bagdat, quæ veterum Seleucia est, in imensa planitie, inter Tigrim & Euphratem indigesta quædam collapsorum lapidum moles conspicitur, & quæ integra ejus pars restat, ambitum habet 1134. passuum, altitudo turrim S. Pauli Londinensem quæ maximè eminet, æquat, quæ depressissima est, editissima Neapolis palatia. Materia ex lapidibus in sole duratis, quorum singulorum crassities dimidium cubitum, longitudo tres illius quadrantes complectitur. Cuique seriei lapidum bitumen cum arundine interjectum. In summo operis adhuc quadrata fenestra conspicitur: in medio cavitates nonnullæ, quarum usus incertus. Et hæc rudera esse Nimrodicæ turris ad unum fatentur omnes Benjamis Tudensis Ralph Firch Anglus, Eldered ejusdem nationis, Petrus de la Valle, Boulaye de Gouz, D. Leonhardus Rauchwolff/ alii. Solus Tavernier diversam sententiam ingressus ex accolarum quorundam opinione statuit molem hanc ab Arabum quodam Principe constructam in usum Phari, ad quam suspensa ingenti laterna belli tempore suos subditos congregaret. Sed quis credat tam operosum opus in hanc rem fuisse constructum, cum multò minoribus impensis turris alia erigi potuisset, quæ idem præstaret? B. Hieronymus etiam superesse illius antiquæ rudera jam suo tempore testatus est, id est, eo, quo Babyloniorum regio nondum in Arabum potestate fuit. Antiquissimi autem operis esse, quæ hodiè visuntur, reliquias uno ore plerique asserunt. Nec situs illarum repugnat, quod Tavernier objicit, contrarium affirmante Petro de la Valle accuratissimo talium rerum observatore. Istud saltem suspicionem movere posset, quod laterem in sole duratum rudera hæc habeant, cum Moses coctili usos fuisse primos ædificatores testetur. Sed salva res est. Consilium enim illorum de urbe simul exstruenda initum, cujus muros ex latere cocto fuisse ipse Tavernierus ex fundamenti reliqui argumento fatetur, & de la Valle in ipsa turri ex utroque genere materiam observavit. Hæc scilicet sunt annosa illa cadavera tanti operis, quod Diodorus jam suo tempore vetustate collapsum esse scribit *lib. II. cap. 9*. Ex Herodoto verò satis constat, & Babylonis rebellis muros à Dario dejectas & ipsum Beli templum intra ambitum hujus turris collocatum à Xerxe eversum esse. Quo spectant etiam illa Strabonis *lib. 16. Babylonis partem Persæ diruerunt partem consumpsit tempus, partem Macedonum negligentia, præsertim postquam Seleucus Nicator Seleuciam ad*
Tigrim

Fr II:395

Tigrim condidit, stadiis tantum trecentis à Babylone distitam. Bellum igitur & hinc noxias vires exseruit. Infelix, inquam, & πολίπορον bellum, cujus metu jam tota ferme Europa inhorrescit. Quæ res effecit, ut tristitia temporum argumenta intra Scholæ parietes transferre placuerit, & de bello deliberantes optimi ingenii, nec minoris spei adolescentes producere. Cujusq; autem partes sequentes lineæ exhibent:

Augustus Gottfried Gerber/Freibergensis auditores invitabit.

Carolus Christophorus Römer/Nobilis Misnicus per Ethopœiam miserabitur statum Germaniæ præsentem.

Johann-Georgius Böttiger/Sadensis Misn. Pathopœia iras in hostem accendet.

Zacharias Schede/Freib. svasor belli erit.

Johann-Nicolaus Feldtman/Budistadio Thüringus disvasor.

Johann-Christian Goldberg/Freib. pro defensivo argumentabitur.

Heinricus Adamus Günther/Dresdensis pro offensivo.

Johann-Andreas Tham/Mittweidensis de mediis belli sermonem instituet.

Johann-Christian Hanckel/Mittweidensis pietatem imprimis & concordiam commendabit.

Salomon Friedrich Lincke/Dresdensis gratias auditoribus aget.

Horum igitur nomine subsecivas horas obnixè rogo. Adeste ò Patroni ac Mecænates, ad diem perendinum hor. 9. & studia optimorum adolescentum, quæ sine teste languent, accendite. Ita meretur illorum spes atq; industria cum probitatis amore conjuncta. Dabam Freibergæ Hermundurorum d. 15. Januarii.

M. JUSTUS Gottfried Rabener
Gymn. Rector.



V077

20

F.H.
118,
27.

X 1877095

625
Pi
395

De sum
LAB
REDEUN
EXSPECT
NOSTR
QVA
MAGNI PERAMAN
SU
GRATIFICA
ORAN
RES
EX
GYMNA
Am
BeLLa gerVnt, & bel
Mœsta & soLIC

Destructione

ATRONI!

I.

Vr,

Typi

bbuu.

